

Ut solet aerium in sylvis antiqua cupressus

Victa aevo, aut quercus ponere lenta caput.

Nec mihi quisquam aliis instauret funera terris,

Aut alia malit ponere corpus humo;

140

Sed tumulum exiguum parvi prope littoris oram

Hic, ubi frigentes alluat unda pedes,

Constituat, varioque ferat de flore corollas

Atque hederas, fronti debitaserta meae.

Hic mea nocturnis Nymphae, Dryadesque puellae

145

Ne dedignentur busta piare choris

Inter Pastorum cantus: neu rustica desit

Fistula, nec calami, Pan Tegeaeae, tui.

Quod si fors tumulum videat quandoque recentem,

Det Cyane muto lacrymulam cineri.

150